IN LINGUAM

SCRIPTURAMQUE UNIVERSALEM

DISSERTATIO

NEAPOLI

APUD TIPOGRAPHUM JO: BAPTISTAM SEGUIN.

1831.

Digitized by Google

Facilius apta dissolvere, quam dissipata connectere.

Cic. in Orat. ad Brut.

Digitized by Google

DUCI THOMAE VARGAS MACHUCA
LAELIUS CARFORA
S.

Cum multis nominibus parenti meo debeam qui optimis disciplinis me erudiendum curavit, illud tamen potissimum est cur eidem gratias habeam permultas quod ejus opera mihi adolescentulo ad te patuerit accessus. Tu enim me pluries gravissimis verbis hortatus es, ut intentum animum studio admoverem, neque umquam committerem ut sirenum cantibus illectus, aut impotentium cupiditatum fluctibus quasi abreptus, a recto itinere aberrarem. Adhaec pro illa, qua mirifice fulges urbanitate mihi saepissime exquisitam tuam bibliothecam adeundi copiam fecisti, quae

in hac urbe magnopere excellit. Quae omnia cum summo fuerint ad discendum praesidio, me collegi nihilque ei curae praevertendum putavi quam ut urgerem propositum meum, atque operam litteris pro ingenioli mei tenuitate transmitterem. Cum vero linguas perdiscendas et philosophicas disciplinas attigissem, hanc mihi diatribam perscribere in linguam scripturamque universalem certum fuit. Nunc eam tibi nuncupo non ut aliquam gloriolam inde sumam, sed ut observantiae in te meae significationem exhibeam. Certe si res levissimas, quas illa complectitur volueris intueri, munusculum hoc levidense crassoque, ut ajunt, filo contextum tibi videbitur; si vero amorem studiumque erga te meum adverteris, quo tibi meam lucubratiunculam inscribo, debes fateri maximum. Reliquum est ut adolescentem tibi addictum tuearis, teque, amicis, tuisque omnibus incolumem quam diutissime serves.

Quisquis rerum omnium, quas Sapientissimus Artifex Deus ex nihilo edidit naturam fuerit perscrutatus dubitare non potest, quin homo non sibi uni, sed societati sit conditus. Hinc eo curas pro suo quisque modulo debet convertere ut aliorum commodis prospiciat. Quod magis praestandum sapienti est, qui suas cognitiones, quas et peracre ingenium et studiorum contentio ei peperit, in communem usum et utilitatem debet intendere; cum vix quidquam invenias doctrina utilius hominum societati. Quamobrem ad acuendam diligentiam nihil sapientissimi quique homines fore validius existimarunt, quam ut praesidia quae

in societatem e litteris dimanant oculis proponerent. Arbitrabantur enim sic posse animos vehementius incendi ad litteras comparandas, quae publico bono apprime conducerent. Cum vero quidquid humanitatis in vitae consuetudine, aut fidei in societatibus constituendis, quidquid solertiae aut sapientiae in urbibus exstruendis, mercibus exportandis, moribus dirigendis scientiarum ducibus acceptum magna ex parte sit referendum, liquido patet quantopere iis debeamus, qui studio, labore, et industria in societatis commoda incubuerunt. Contra ecquis non duxerit eos turpi nota inurendos, qui futiles, vanas, et nullius momenti quaestiones enucleandas exhibuerunt, atque adhuc exhibent ad animi remissionem, quasi a studiis delectatio sola peteretur, ut ait Tullius, non fructus maximus, quem possent homines in communem usum proferre? Certe dissimulare non possumus, quin saepe nescio quae immodica cupido philosopho-

rum animos pervadat, qua correpti irritas quaestiones, et nullius pene usus proponunt menti expediendas. At hoc malum eo fit praesentius, quod adolescentuli studiorum iter vix ingressi hujusmodi quaestiones novitatis semper aliquid redolentes non solum ex alieno ore avide excipiunt, aut in scriptis oculis inhiantibus legunt, verum etiam (quod magis fortasse mireris) pro illis, quasi pro aris et focis, strenue depugnant. Inter has vero non ultimum locum obtinet illa, num dari possit lingua et scriptura universalis, qua populi omnes utantur, quin ediscendis tot linguis provinciam plenam aleae, ac salebrosam suscipiant. Cum vero non pauci docti homines hujus rei facilitatem adstruxerint novasque methodos in hanc rem, novasque regulas concinnarint, in adolescentes non raro ipse offendi, qui vivido quodam aestu abrepti in litteratos homines irrumpebant quasi in re tam facili animum desponderent, nec certatim alius alio arden-

tior tam pulchro labori se adjicerent. Huic opinioni, quae facilem et peropportunam ad comparandam publicam utilitatem ducit linguam et scripturam universalem, hac diatriba mihi occurrendum censui. Quaestionem delibare libuit summa per capita, ut aliquam hujus rei veluti adumbrationem aliis exhiberem, si velint majore studio ac diligentia rem excutere. Velim autem, ut nemo id mihi arrogantiae vitio vertat, quasi induxerim animum philosophis praestantis ingenii, acerrimique judicii detrahere, quorum doctrinae laudibus contexendis me imparem profiteor. Eo enim spectat consilium meum, quodcumque demum id fuerit, ut aequales adolescentes quodammodo moneam, ne in veritate inquirenda turpiter hallucinentur, tempusque in inanibus rebus traducant, cujus, ut ajebat Seneca, sola avaritia honesta est. Cum vero deesse numquam possit locus in toto disciplinarum orbe, quo quis vera ingenii laude commendetur, quin rebus minime profuturis stu-

deat, quisque velim, ut ad res tantum frugiferas, et solertiam et animi contentiones conferat. At quoniam qui linguam universalem haberi posse contendunt (de lingua primum dein de scriptura dicturus sum) alii aliam ingressi viam eo demum omnes collineant, ut affirment facilem ipsam fore, si radices primigeniarum linguarum possent dignosci, ex quibus una dein efficeretur; de hac re nobis pro tenuitate virium disserendum curamus.

Jam palam est universis Deum, postquam hanc mirabilem mundi machinam eduxit, sexto demum die ad suam imaginem hominem efformasse, locoque statuisse amoenissimo, qui omne arborum genus exhibebat, quae et oculos voluptate et gustum suavitate pascerent. Duo vero ei munera contulit, quibus neglectis, non sane cernimus, quid inter mutas belluas et hominem intersit, rationem scilicet, et rationis interpretem sermonem. Ratione, qua nihil divinius, ajebat Cicero, res abditas valet

Digitized by Google

perscrutari, comprehendere, componere, praeteritas recordari, conjectare futuras, aliaque persequi, quae nonnisi a vi mentis atque ingenii queunt proficisci. Verum haec omnia densissimis obruta tenebris delituissent, nisi sermo accessisset, qui humanae mentis cogitata et consilia proderet. Hinc primus homo ratione praeditus sonos illico articulatos emisit, qui suae mentis ideas diserte exprimerent. Ipse nómina cuique animantium inussit, ut notam, qua facile distingui possent »
» appellavitque Adam, en Genesis verba,
» nominibus suis cuncta animantia, et
» universa volatilia coeli et omnes bestias terrae ». Cum vero homo ad societatem sit natus ex sermone hos quoque fructus non poenitendos assequitur, quod lingua effert animi motus, quibus afficitur. Certe crediderim hominum pectus naturae semper aliquid molientis officinam posse appellari. Numquam enim haeret, aut torpescit, sed mortalium animos mirifice versat, illosque format ad omnem habitum

Digitized by Google

fortunae. Ut vero homo perturbationes ipsas, quas excitat animus, queat cum aliis communicare linguam in ministerium advocat. Sic maeroris, laetitiae, timoris, confidentiae, aliorumque affectuum motus palam exhibet, eosque etiam, si opus fuerit, in aliis ciet. Ita Horatius:

Format enim natura prius nos intus ad omnem

Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram,

Aut ad humum maerore gravi deducit, et angit;

Post effert animi motus interprete lingua.

Hinc ipse Adam, postquam Deus costa illi sopito exempta mulierem effinxit, quae fieret vitae consors, eique adduxit, sibi et illi his verbis hilariter est gratulatus « Hoc nunc os ex ossibus meis, haec » vocabitur virago quoniam de viro sum- » ta est ». Eadem vero lingua, qua Adam, posteros usos esse ex scriptura cognoscimus. Nam, cunctis rebus diluvii i-

Digitized by Google

nundatione absorptis, postquam Noachus arca egressus Deo altare erexit grates persoluturus » terra erat labii unius et ser» monum eorumdem » Cum autem multiplicatum hominum genus centum annorum spatio et eo amplius creverit, consiliumque iniverit diversas regiones, deductis coloniis, petendi, etiam patet, priusquam dispergerentur, turrim in monumentum potentiae erexisse, quae in immensam altitudinem excresceret. At Deus irritos conatus exsufflavit, distracta in tot linguas ea, qua hactenus usi fuerant. Hinc ab incepto cessatum sublato communis linguae (*a*) commercio. Igitur a confusione

(*a*) Quaenam vero fuerit haec lingua communis, ipsi docti viri acerrime inter se digladiantur. Quum enim negent fuisse hebraicam, qua usus esset Adam ejusque posteritas, alii Celticam, alii Copticam, Graecam, Sinensem obtrudunt, contra atque nos sentimus, qui Adamum ejusque nepotes hebraicam locutos fuisse contendimus, etsi non diffitemur eam (praeter illam quae habetur in sacro textu incolumis) populi Iudaici dispersione in aliam pene abiisse commixtione aliarum, ipsasque literas in Chaldaicas, teste Hyeronimo, captivitatis Babylonensis tempore evasisse.

in babel, quod ipsum sonat, oborta omnes quae tunc vivebant familiae per totum terrarum orbem propagatae, propriam sibi ac peculiarem linguam arcessiverunt. Hic ecquis sibi confideret posse primigeniarum linguarum radices omnes expiscari? Equidem non inficior, quin, (ut facile cuilibet patet, qui etimologicam artem calleat) eaedem pene oris inflexiones ad significandas primas ideas, quae hominum menti exhibentur apud Hebraeos, Arabes, Indos, Persas, Celtas, Teutonos occurrant (*b*) Verum enimvero quid re-

---

(*b*) Vocabulum ipsum *nomen* pene in universo orbe eodem oris hiatu vel sono auditur: *Nam*, *name*, *neme*, *nome*, *onoma*, *nim*, *nombre* et cuncta ab hebraico *naam*: *dicere*, *loqui* proficiscentia. Pater Sinico Sermone appellatur *foa*, Mungice et Geice *fa*, Malimice *pa*, aspirata in teneum conversa, Lulice *pe* Huastecice *pap*, Tibetanice *jap*, Omagnice et Mainasice *papa*, Indostanice, et Betoice *bap*, Salinice *baba*, Phallatice *baba*, Turcice *buba*, Malabarice *buva*, Mandingice et Barmanice *ba*, Chaldaice Syriace et Arabice *haeb*, Persice peder, addito tantum *der*, quod ex-

fert in tanta linguarum varietate radices aliquarum vocum arduo labore atque ingenti

---

cellens valet, graece et latine *pater*, germanice *vater*, anglice *father*, suece *fader*, hispanice et italice *padre*, gallice *père* pro nimia, qua galli verberum contractione delectantur. *Mater* sinice nuncupatur *moà*, Mabimice *ma*, Peruvianice, Omaguice, et Betoice *mama*, Huastecice *mimi*, Tuscerarasice anah, Indostanice et Lusitanice *mae*, Tibetanice *jum*, Mandingice *jem*, Malabarice *emme*, Chaldaice, Syriace et Arabice *haem* vel *hemma*, Aetiopice *cham*, Turcice *ana m* pro magna, quae inter eas extat affinitate, in *n* deflexa, Ackimice *anaa*, Phallatice *inna*, Cangice, Kurabanice *nenne*, Aminice *minna*, Illyrice *matti*, Armenice *majr*, Latine *mater*, Graece *meter*, Germanice *mutter*, Anglice *mother*, Suece *moder*, Italice et Hispanice *madre*, Gallice *mère*. Eaque analogia in vocibus *domum* significantibus cerni potest: *bat*, *beth*, *beit*. *both*, *bod*, *boed*, *bathe*. Et si in Hebraico sermone graecae latinaeque dictionis *domus*, atque italicae hispanicaeque *casa* ratio vult reperiri, quisnam qui vel a limine orientales litteras salutavit non videt *domum a domuh* sepulchrum, quia viventis sepultura recte appellari potest, et *casa* a *casa tegere* proficisci? Quid dicam de voce *terra*? *Art*, *aretz*, *erdzi*, *erde*, *jord*, *earth*, *era*, *ert*, *terra*, *tierra*, *terre*? Ab aetiopico *ad manus* recta manant hebraicum *jad*, chaldaicum *jed*, persicum *eid*, celticum, anglicum, ac teotonicum *hand*, atque inde innumerae quidem voces derivant: francicum *aider*, latinum *aides*, quia manu exstruitur, hispanicum *adobar*, et plura id genus, *Bar* hebraice valet *declaravit*, et celtice *cantus* unde *bardi*; hinc sane

conatu reperire? In unda maris Aegaei stillam muriae, atque ad divitias Craesi teruncii accessionem dixeris. Certe nemo ignorat linguas eam vicissitudinem subiisse, quam res omnes humanae, expertae sunt nempe, ut mutationi fuerint obnoxiae. Quem tandem praeterit verba decursu temporis interire? Hinc Horatius:

Ut Silvae foliis pronos mutantur in annos,

Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas.

Adhaec quot vocabula nova extiterunt, cum novae ideae fuerint exprimendae? » Rerum copia » ajebat Cicero III. de Orat » verborum copiam gignit, hinc Horatius:

---

fluunt armenicum *bar-bar el*, latinum *fari*, italicum *parlare*, lusitanicum *falar*, hispanicum *hablar*, graecum *femi*, *reo*, germanicum *reden*; celticum *far*, teotiscum *worth*, anglicum *word*, scotum *avar*, irlandicum *bearla*, islandicum *fearb*, italicum *parola*, *favella*, lusitanicum *fala*, sinicum *fu*, hispanicum *habla*, *palabra*, francicum *babil*, *parole*, *harang*, et id genus sexcenta.

Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget.

Illud denique dubitari non potest, quin linguae primum rudes, atque adhuc verborum pauperes doctorum hominum opera in mirificam ubertatem et copiam excreverint. Hinc Horatius ipse:

ego cur acquirere pauca
Si possum invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit. . . . ?

Praesertim id accidisse compertum est apud gentes illas, quae animum litteris adjecerunt, ut mores agrestes exuerent. Quum enim studia in mores paullatim commigrare viri sapientissimi cognoverint, nihil antiquius habuerunt, quam ut bonis artibus hominum animos

veluti efferatos demulcerent, et ab agresti vita ad humanitatem traducerent. Quod si commentitia sunt illa, et cantum Orphei mitiores reddidisse belluas, et lyram Amphionis suavitate movisse lapides, certe quis haec commenta inniti aliqua veritate negaverit? Huic rei nullum dubitandi locum relinquunt historiae quibus liquet gentes moribus immansuetas placido Musarum commercio, et inscitiae caligine excussa, a feritate ad humanitatem sensim et sine sensu deflexisse. Heic autem quis negabit, statim ac cultura moribus accessit, rudi sermoni, quo gentes antea utebantur, expolitionem etiam accessisse, ita quidem ut vetus lingua pene tota in aliam abierit? Eant nunc qui contendunt posse radices omnes primigeniarum linguarum investigari, et rem tam difficilem, tam arduam, tam pene impossibilem aggredi confidant. Certe nemo erit tam penitiore doctrina conspicuus, ut tot linguarum, post tot mutationes, et saeculorum lapsus, radices primas pos-

sit ingeniosa sollertia excerpere, ex quibus postea una lingua queat conflari. Verum ne quis nobis succenseat, quasi temere omnia dicamus, quae cursim adhuc persecuti sumus historia libet evincere. Ex hac habetur linguas fere omnes aut temporis edacitate, aut belli commerciique caussa adeo immutatas esse, ut antiquae quasi obsoleverint, novamque formam induerint. Et sane Indi, eorum jam lingua in diem adaucta, aliisque sermonibus commixta, cum Babylonenses, Graeci, Persae, aliaeque gentes in illas regiones irrepserint, nunc vix vetustam Samscrudonicam queunt intelligere, quam saltem in Sacris, scientiisque adhibent. Coptica etiam lingua penes Afros, ut barbara dialectus in praesens auditur, dum antiqua Ægyptiaca penitus ignoratur. Adhaec Persica lingua, in qua Zoroastri opera, et Barzuae dialogi conscripti sunt prorsus decessit, ac nova quaedam emersit, quae ex Turcico, Arabico, aliarumque Asiae et Europae nationum idi-

omate referta est; perinde atque Anglica, quae Celticam tot post saeculis oblivione obrutam excepit. Americanae quoque gentes, caeterique populi ad mitiorem vitam, morumque urbanitatem demum revocati libertatem simul cum patrio sermone amiserunt, quum exterae nationes, quae eos in ditionem suam redegerunt, illis linguam simul cum jugo imposuerint. Quod si animum ad doctiores linguas convertamus, quis ignorat Graecam linguam adeo rudem extitisse ab suis incunabulis, ut Plato saepe affirmarit, eam barbaris vocibus inquinari? Verum cum Homerus Achillis iram cecinit, et naturam spirantibus coloribus depingendo poeseos exhibuit exemplar absolutissimum, cum Herodotus commentitias popolorum Asiae origines dulci Musarum stylo persecutus est, ambo Graeca ingenia admotis veluti stimulis ad litterarum gloriam excitarunt. Hinc dum Tragoedia Sophocles et Euripides, historiá Thucidides et Xenophontes, philoso-

phia Socrates, Platones, Aristoteles jactabat, ipsaeque pingendi et exculpendi artes Zeuxi, Parrasio, Policleto, ac Phydia superbiebant, oratores praestantissimi linguam non modo exornarunt, verum etiam locupletare studuerunt, ut scientiis, bonisque artibus linguae splendor accederet, ex qua ingens Graeciae gloria dimanaret. Quos inter praestiterunt Athenienses, qui multis litteris apprime ornati tantam sibi in linguae puritate nominis celebritatem vindicarunt, ut *Atticismus et Atticus sapor* in proverbium abierint. Immo adeo modulationi inservierunt, ut Attica anus Theophrastum, hominem alioquin disertissimum, annotata uuius verbi affectatione hospitem dixerit. Hinc ipse Tullius in Orat: ajebat » Ad Atticorum aures teretes, » et religiosas, qui se accomodant, ii » sunt existimandi Attice dicere » Sed rursus haec ipsa lingua tam pura, tam elegans, tam splendida, elapsis annis, decidit ex ea dignitate, cui Athenis in ip-

so bonarum artium sinu assueverat. Audiamus Tullium in Bruto LI » Ut Semel a Pyraeo eloquentia evecta est, » omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis » oblineret moribus, omnemque illam » salubritatem Atticae dictionis et quasi » sanitatem perderet, ac loqui pene dedisceret » Ex his quis non videt quot mutationes Graeca lingua subierit? Id ipsum de latina quis negaverit? Docti norunt, quaenam tandem fuerit haec lingua, antequam Romani studio exornandae illius caluerint. Nonne sciunt universi qui latinae linguae peritiam omnem exhauserunt, ipsam esse olim Etrusci seu Osci, Graecique sermonis barbaram commixtionem? Oscorum gentis intereuntis linguam apud Romanam mansisse tradit Strabo. Quod vero ad Graeca vocabula attinet, Varro innumera verba recenset, quae de Graeco fonte desumpta latinis fuerunt intermixta. Hinc vocabulis prima sua origine scatebat, quae postea Roma-

ni oblivioni mandarunt, ne dicam risu exceperunt. Quis non miretur verba, quae in fragmentis decemviralium legum occurrunt, *nancitor*, *escit*, *abascit*, *amsegetes*, *sublucator*, *emem*, *donicum*, *antestaminor*, *interibi*, aliaque, quae a latialis linguae nitore postea mirum quantum abhorruerunt. Primus omnium Terentius admirabili ingenii felicitate praeditus non modo Graecas divitias in linguam suam traduxit, verum etiam totus fuit in latinitate perpolienda, aut, ut verius dicam, renovanda. Cum vero Graecia victa victorem ipsum domuit, et Graecae elegantiae veluti semina Romano solo tamquam mollito agro excepta uberrimum fructum attulerunt, tum quidquid hominum cultiorum Romae extitit novandae atque augendae suae linguae operam transmisit. Plura verba peregrinum quiddam resonantia obsoleta, ablegata nimis aspera atque horrida, rudia ornata, nova cusa: quae omnia adeo excreverunt, ut antiquae lin-

guae nulla fere vestigia superfuerint. Hinc quae propria fuerat gloria Graecorum in linguae elegantia, ea fuit cum Romanis communicata, et Roma in subselliis, in rostris, in Curia Crassos, Antonios, Hortensios, Cicerones obstupuit, qui ad latini sermonis venustatem tuendam mirifice adlaborarunt in illo praesertim Augustaeo saeculo et litterarum splendore. Verum iste nitor, istaec elegantia incolumis suo gradu stetit? Minime gentium: nam Roma, quae jugum simul et linguam imposuit subditis nationibus, linguam suam iterum inquinatam indoluit, quum populi omnes in ditionem redacti et verba a Romanis sint mutuati, et propria Romanis reliquerint » Unaquaeque » gens », ita Isidorus » cum suis opibus, » vitia quoque et verborum et morum » Romam transmisit » Hinc barbari tam turpem latiali lingnae foeditatem intulerunt, ut ea ab excelso splendoris gloriaeque culmine deciderit, suamque elegantiam pristinam desiderarit. Plebs prae-

sertim barbaros ipsos seu imperitia, seu quadam imitandi cupidine sequebatur, et ipse Quintilianus testatum reliquit » » imperitos vulgo barbare locutos, et to- » ta saepe Theatra, et omnem Circi » turbam exclamasse barbare » Quod si denique ad linguam nostram Italicam animum advertamus, quis dixerit quam rudis et pene agrestis fuerit initio, quum vulgaris diceretur? Sed tandem excussa ignorantiae illius caligine, quae tot seculis homines obstrinxit, per viros litteratissimos tam expolitam, suavem et splendidam se exhibuit, ut de venustate et copia cum ipsa matre contenderet. Heic ex industria argumentis abstineo, ne lectorem super re notissima imperitum credere insimuler. Ab illis autem quae hucusque sumus persecuti, quisque poterit facile colligere, quam arduum perdifficile ac pene impossibile fiat in tot linguis, et in tanta ipsarum vicissitudine radices linguarum primitivarum introspicere, ex quibus una fieret,

qua omnes populi uterentur. Quod si vero sermo aliquis eligeretur, aut conderetur quem cunctae nationes loquerentur, is etiam procul dubio ob varios coeli haustus, corporis habitus, hominum mores ac civitatum consuetudines in totidem deinceps linguas ac dialectos dissolveretur.

At non solum linguae, sed etiam scripturae universalis cupido philosophorum animos incessit. Verum ista nimirum aut Alphabetica est, aut ideographica. Alphabethica sermonis cognitionem prae se fert qui characteribus scribitur. Hinc nullam utilitatem humano generi afferret, qui scripturam alphabeticam universalem conficeret, cum lingua adhuc universalis desideraretur. Quamvis enim omnes populi eodem alphabeto uterentur, verba tamen inania legerentur, quia eorum significatio invicem ignoraretur, et mentis cogitata denso quasi velamine aliorum animis obtegerentur. Hinc si locutio, qua singulae gentes utuntur antea perdiscenda esset, ecquid emolumenti haberetur si

litterae tantum alphabeticae addiscerentur? Accedit, quod pluribus abhinc annis scriptura alphabetica fere universalis obtinet. Populi enim Europaei et Americani, qui Europaeis ipsis culturam referunt acceptam, caeteraeque insularum gentes barbariem exutae litteris aut latinis aut italicis utuntur. Africani porro et Asiatici, praeter Indos qui peculiares characteres habent, et Sinas, qui ideographicis signis in scriptione utuntur, Arabicis litteris seu syriacis Arabicarum simillimis scribunt. Scriptura vero ideographica aut Schematographica est, aut Sematographica. Harum altera veram rerum figuram repraesentat. Primi omnium Ægiptii, ut habetur praecipue ex Plinio, ea usi fuere. Per figuras enim animalium sensus mentis eis libuit depromere, et lapidibus, vel columnis commiserunt antiquissima monumenta. Strabo rem expressius indicans asserit, per speciem apis mella conficientis regem indicasse cui cum jucunditate moderante aculei inesse debent; per ac-

cipitrem rem cito factam, quippe quae aliarum ferme omnium avis sit velocissima. Verum hanc scripturam universalem quam innuimus, possibilem nullo pacto arbitramur, sicut sensit praeclarus etiam eruditusque nostrae civitatis vir, qui eam ad pauca saltem indicanda posse adhiberi luculentissimis argumentis evicit. Earum altera, scilicet sematographica visa est permultis ad societatis bonum posse confici, dummodo spinae quibus est affatim obsita, aliquo pacto quirent eradicari. Leibnitius primus omnium eo curas convertit, sed innumeris, ut neminem fallit occupationibus distentus tam improbo labori vacare non potuit. Ejus vestigia postea non pauci persecuti in idem incubuerunt irrito fortasse labore (c). Certe

---

(c) *An essay towrds a real character and philosophical langaage. Poligraphia cabalistica Trithemii.* an. 1661 Joannis Becheri Spirensis opusculum quoddam in lucem editum est cum hoc titulo. *Character pro notitia linguarum universali, inventum stenographicum hactenas*

Gallus quidam nomine Demaimieux in pasigraphicam artem Francico sermone diatribam conscripsit, verum Parisiensis Academia illius methodum flocci habuit, operamque, quae ei multis laboribus ac meditationibus stetit, negligendam penitus duxit. Equidem cum rem hanc inspicerem attentius, existimavi posse aliquo pacto eam confici. Nam si natura tantum duce Sinae a primis usque temporibus ideographicam scripturam adeo adamarunt, ut ne exteri quidem philosophi, qui eorum regionem pervaserunt,

---

inaudltum. Anno 1772 a Georgio Kalmaro nobili Ungaro typis mandata sunt: *Praecepta grammatica*, *et specimina linguae philosophicae*, *sive Universalis*, quod collectio quaedam est vocum ex veteribus atque hodiernis linguis, ab Alchimia, Astronomia, et a reliquis scientiis, artibusque excerptarum, quae singulae singulis ideis inservirent. *Pasiphrasia auctore Wolke germano* an. 1797 excusa. *Pasigraphie*, *und Antipasigraphie*, *oder über neuste Erfindung einer allgemeinen sprache für alle Völ kér*, *und von Wilkins*, *Leibnitz*, *Wolke*, *Kalmars pasigraphischen ideen ein Versuch*.

Digitized by Google

scientiisque, atque artibus eos informarunt ab ista scribendi ratione potuerint revocare, quotusquisque est qui non videt quanto rectius possent et consultius cuncti Europae philosophi ipsam conficere, si eo totos sollertiae nervos intenderent? Sed praeterquam quod ad haec accuranda non vulgare ingenium, nec modici labores pro rei merito requirerentur, ecquid tandem utilitatis ex hac re in publica commoda derivaret? Etenim scriptura ideographica non inter nationales qui eadem lingua utuntur, sed cum exteris populis exercenda esset. Non inde sane usum aliquem colligerent mercatores, qui ultro citroque merces exportando eo praecipue operam collocant, ut varias linguas nationum quas adeunt, quantum ipsis fuerit satis, ediscant. Neque vero fructuum copiam expectationi parem colligendam ipsa praebebit homini politico. Adest enim et ars telegraphica, quae ne veteres quidem populos latuit. Graeci, auctore Eschilo, nuntios mittebant igne

quod ἄγγαρον πῦρ dicebatur, vocabulo a Persis usurpato. Solebant enim (*d*) reges Persarum certis stationibus dispositos habere tabellarios, et nuntios eorum lingua *angaros* appellatos, quorum alter alteri traderet mandata, ut ita celerius perferentur (*e*). Neque denique utile esset litteratis hominibus. Nam si hujusmodi scriptura adhiberetur actum quidem esset de amplissimis disciplinis, quae rudi et simplici signorum apparatu traditae, praeterquam quod veluti pannosam vestem et horrificam induerent, nullo modo quirent ad omnium captum accomodari; actum de poesi, quae ad Dei laudes persequendas, vitae praecepta altius defigenda, et heroum gesta celebranda numquam non incubuit. Quo enim abirent imaginum vis, schematum varietas, carminum suavitas, troporum venustas, quae delectationem

---

(*d*) Herod lib. 8.

(*e*) Eamdem consuetudinem in Mexicanis regionibus Hispani invenerunt.

simul et admirabilitatem excitant? Actum de Historia, quam Tullius merito magistram vitae nuncupavit, quum saepissime contigerit ut plerique mentem et animum cogitatione hominum excellentium conformarint. Quot signis ad exscribendam historiam quisque uti deberet, ne deesset rerum ordini? Quot figuris indigebit historicus, cui longa narratio temporibus, locis, personis, circumstantiis distincta esset contexenda? Ecquid dicam de eloquentia, ex qua in universam societatem praestantissimi fructus dimanant? Ipsius quidem est non modo concretam errorum caliginem perrumpere, veritatem nullis praestigiis tectam exhibere, frangere audaciam, fraudes refellere, homines ab interitu vindicare, sed etiam concitare animos et permovere. Quum hic igitur sit Oratoris scopus, ut persuadeat scilicet et moveat, quo pacto signis quisque poterit vim illius eloquentiae apud exteros exerere, quae dicitur animorum dominatrix? Valeant igitur, qui suis inventio-

nibus eo demum spectant, ut nobilissimas artes, quibus edocendis secula adlaborarunt, penitus pessumdent.

Ex quibus omnibus illud prono veluti alveo fluit, scilicet aegrorum potius deliria quam philosophorum meditationes ulteriora de hac re tentamina censenda fore. Nam sicuti Dei miraculum linguas dispescuit et Dei quidem miraculo opus est, ut omnes iterum in unam congerantur.

FINIS.

VH1
1513340